ASTERII MANLII ORATIO FVNEBRIS,

Parmæ habita, ſexto Kal. Nouemb.


Nomine Venerandæ Societatis CHRISTI *Cruci affixi,*

Cùm illa in AEde Carmelit. iuſta perſoluebat ALEXANDRO FARNESIO fortiſs. apud Belgas Proregi.



PARMAE, Typis Eraſmi Viothi, M. D. XCIII.

Superiorum Permiſſu.



ILLVSTRISS.
AC REVERENDISS.
ODOARDO FARNESIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.
PRINCIPI OPTIMO,

ALEXANDRI FARNESII
IMPERATORIS
SEMPER INVICTI
FILIO,

INTEGRITATE, INNOCENTIA,
PIETATE INSIGNI,

DOMINO SVO CLEMENTISS.

ASTERIVS MANLIVS PARMENSIS

DONAT, DICATQ.

ASTERII MANLII
ORATIO FVNEBRIS,

Parmæ habita, ſex. Kalend. Nouemb.

Nomine Venerandæ ſocietatis CHRISTI *Cruci affixi,*

Cùm illa in AEde Carmelit. iuſta perſoluebat ALEXANDRO FARNESIO fortiſs. apud Belgas Proregi.

SCilicet ad hæc humanarum rerum ludibria naſcimur, vt tùm potiſſimum ad nihilum recidamus, cùm maxime florere arbitramur, & quæ ſolida firmis nixa radicibus putamus, momento temporis conuulſa corruant. Vereq; nihil eſt in humanis rebus firmum, nihil ſtabile, nihil diuturnum. Fuit enim ALEXANDER FARNESIVS *non ita pridem rebus omnibus, quas præpotens Deus in hominem congerere ſolet, natura, & fortuna Dei miniſtræ in quemq; certatim conferre poſſunt, florentiſſimus. At nunc vbi eſt? vbi nunc ille eſt? Pyramis illa, Pheretrum illud, collucentes iſtæ faces, funebres ij apparatus, pulla iſta veſtis, lugubre hoc ſilentium, funeſtæ, ſolemneſque precationes,*

querelæ, & lamentationes publicæ, squallor denique iste vester, orisque mæstitia, Sereniss. Principes, rem ipsam indicant, neque in obscuro latere patiuntur: declarāt, inquā, illum mortis iniuria oppressum hoc maxime alienissimo tempore diem summum obijsse. O pernitiosum igitur fatum; ò atrocem, & insatiabilem fortunam; ò rapaces, & inexplebiles Parcas; quæ tam graui ictu ita vniuersum terrarum orbem concusserunt, ita labefactarunt, vt de communi omnium internitione valde sit pertimescendum. ALEXANDRO enim FARNESIO, inuictissimo, inquam, ALEXANDRO morte prærepto, non publicæ saluti timere, hominis est (mihi credite) parùm de incolumitate reipublicæ Christianæ cogitantis, &, qui in turpissima tanti Herois meritorum ignoratione versetur. Cuius laudes ita late patent, vt nullius sit tanta vis dicendi, tanta verborum copia, quæ in illis explicandis non obsoleta videri possit, & minime hominum opinioni responsura. Quare, quod mihi alijs de rebus dicentì prodesset magnopere, alacritatemque afferret, id nunc aduersatur maxime, timoremque vehementer facit vestra scilicet hæc attentio, vestrum silentium, vestra expectatio. quippe quos, res ab eo gloriose gestas non dicendo quidem adæquaturum, cuius enim id esset hominis? at saltem pro tempore explicaturum sperare video. Sed profecto errore ducimini, si quid tale à me expectatis: ego ne tantuli ingenij, tantulæ exercitationis, merita ALEXANDRI dicendo vt explicem? Qui prima ætate nihil non subli-

me cogitauit; corroborata nihil non admirabile suscepit; ingrauescente nihil non diuinum confecit. Nam vt primum igniculos gloriæ sensit, quos in animis Heroum præcipue natura ingenerat, & domesticis exẽplis, quibus quàm qui maxime abundabat, excitatus, & admirabili quadam naturæ altitudine, qua mortales omnes superauit, admonitus, egregia omnia æmulari, & quæ sunt vera Principum ornamẽta studiosissime consectari cœpit. Itaq; iam tum à primis annis numulum illum argenteum excudi curauit, qui nũc etiam circunfertur, & in omnium manibus assidue versatur; hinc ALEXANDRI *Macedonis, illinc suã ipsius imagines præseferentem: illam his verbis circunseptam.* ALEXANDER MACEDO SPECVLVM. *hãc vero istis conclusam.* ALEXANDER FARNESIVS SPECVLATOR. *Nũquid, obsecro, apertius præseferre potuit eos se animi sẽsus, eas cogitationes, vel in prima illa ætate suscepisse, quæ æternam nominis gloriam spectarent? & omnium magnarũ rerum futuræ essent feraces? Etenim cum nulla re magis ad efflorescẽtem veræ laudis, ac gloriæ amplitudinem, quàm æmulatione, & exemplis incitemur, quòd excellentium virorum cogitatione cõformati ad earũ rerũ, quæ immortalem in alijs laudem pepererunt cupiditatẽ, inflammamur: eum sibi ad imitãdum proposuit, quo ex antiquis Imperatoribus rerum bellicarum gloria illustriorẽ habuit neminem; quẽ tamen, & virtutibus omnibus, & militari præcipue laude, si, quãto interuallo post se reliquerit, nunc esset dicẽdum, ò qui mihi cãpus esset, in quo excurreret oratio mea, & in ipsa tenuitate sua exultaret. Sed satis multa*

dixisse videbor, hoc vnum si dixero; fuisse quidē in magno Macedone virtutes multas, amplissimaq; egregij Imperatoris ornamenta, sed & totidem animi labes, sordesq; vitiorum turpissimas, à quibus cum tā diligēter, quā qui diligentissime cauerit ALEX. FARNESIVS, *illas vero æmulando superauerit, quid causæ est, quamobrē Deo, hominibusq; approbantibus magno illi maiorem hūc nostrū omnibus partibus longe, lateq; non præferamus? qui omnem antiquitatis memoriam rebus gestis superauit, quo re bellica sciētior nemo unquam fuit: illū.n.omni genere belli terra, mariq; fortuna ita exercuit, vt nihil in militari disciplina positum sit, quod* ALEX. *scientiam fugere potuerit. Itaq; quoties cum hoste conflixit, toties de illo gloriosum triumphum duxit; quoties cum inimico manum conseruit, toties victoriā sine vlla belli offensione reportauit. Neque enim (quod in bello sane valet plurimū) fuit illo quisquam usu, naturaq; acutior, & qui sagacius, ut velle cœpisset, occultas hostium voluntates peruestigaret; futuros rerū euentus prospiceret. Quare non illū obscura latebant; nō dubia torquebant; non, quæ in coniectura posita sunt, fallebāt. Hinc omnia prudenter disponere; accurate administrare, nullo repentino rerum euentu opprimi. Quæ omnia illustriora multo, atque ampliora in illo fuisse, quàm à me dicendo recensentur, multis, quæ passim occurrunt exemplis, possem ostendere; sed alio festinat oratio mea; alio me trahit* ALEXANDRI *rerum gestarum series; maiora de illo, augustiora dicenda sunt; quæ prorsus si de alio dicerentur, pleraque falsa; & ad vanam ostentationem*

nem

nem conficta viderentur. Sed nihil tàm difficile, nihil tàm nouum dici potest, quod fidem meritorum ALEXANDRI superet. Exilis, inculta, vulgaris erit omnis oratio, quæ in hoc argumento versabitur. O te igitur felicem, ò te uere beatum, Maxime ALEXANDER, qui virtutes tuas altius extulisti, quàm vt quisquam suspicere, & hominum ingenij acies intueri poßit, easque difficilius sit sensu, & cogitatione comprehendere, quàm aliorum omnium splendido, & illustri verborum apparatu exornare. Sed quando muneri huic mihi iniuncto, verbis, non tacita admiratione satisfaciendum est; percurramus nunc strictim ex infinitis pauca admirandæ fortitudinis, & propriæ Imperatoriæ virtutis exempla. Ex quibus dum aliud ex alio occurrit, quod in nauali pugna ad Naupactum edidit, tacitus nõ præteribo. Nam cum gentium omnium ferocißimi Turcæ impium bellum vniuerso Christiano nomini ita intulissent, vt nullus locus toto mari à Bizantio Venetias vsque tutus ab infestißimo hoste reperiretur; classem enim CCC.XXX. nauium comparauerat, ex quibus longæ, rostratæque erant CLX. eam mentem Deus benedictus in Principes omnes Christianos immisit, vt incredibili ardore coirent ad comprimendos Mahumetani serpentis impetus, osque illud suum rabiem, & scælus anhelans elidendum. Quod cum felicißime nõ amplius quatuor horarum spatio confectum fuisset, quid interim, dum summa cõtentione pugnaretur, fecit inuictißimus ALEXANDER, vel potius quid nõ fecit?

 hostibus

hostibus terrori esse; alios interimere; alios in fugam vertere; laborantibus suis, qui eadem naui vehebantur, non auxilio modo esse, sed animum, & vires addere; cadentes erigere; prostratos subleuare; alijs deniq; potius, quàm sibi in tanto discrimine cauere. & cum post magnum, & difficile certamen amplius quindecim millia Christianorum cathenis, & durissimo mãcipio soluta sint, quàm multis arbitramini ALEXANDRVM *salutem, ac libertatem peperisse? quàm multos propria manu compedibus liberasse? Iam verò tàm insignis victoriæ particeps domum reuersus, non ita multò post ab Auunculo* PHILIPPO *Regum omnium, quos terra sustinet, potentissimo, & de Christiana incolumitate valde bene merito ad retundendos insanientis Belgiæ sceleris, & audaciæ plenos furores est vocatus. Quo in munere obeundo, bone Deus, qualem se præstitit* ALEXANDER? *quos pro te clementissime* IESV *labores sustinuit? quæ pericula adiuit? quantum sanguinis profudit? Testabuntur hæc omnium ætatum annales, nulla tàm ingrata, tàm sera erit posteritas, quæ aut dissimulare, aut nescire possit, quæ in bello Belgico* ALEXANDER *gesserit. Hostem.n.contumacem frænare; superbum domare; fallacem vlcisci; impudentem cohibere; audacem reprimere; vnius fuit virtutis* ALEXANDRI *præterea nullius. Qui semper infracto, fortiq; animo præditus, cum quid arduum, & difficile erat aggrediendum, spe incredibili elatus lætabatur fortunam obtulisse campum, in quo virtus sua, & fortitudo vagari posset, quam vnam omnes*

cona-

conatus illudentem, neq; capi insidijs, neq; frangi, aut expugnari viribus posse intelligebat. Cuius in prouidendo calliditatis, in perficiendo celeritatis, in laboribus patientiæ, toties hostem pœnituit, quoties earum virtutum exercendarum occasionem nactus est ALEXANDER. *Qui quandiu rerũ summæ præfuit Sereniß.* IOANNES AVSTRIACVS *in bello sic est versatus, vt nullam sine hoc Imperator, hic multas, & magnas res sine Imperatore fecerit. Nam cum ad eum locum, quem Gibloum appellant, Regij milites inito certamine fluctuarent, & parum abesset, quin sensim pedem referrent; aspirauerat.n. primo congressu hostibus fortuna, ijq; occasionem bene gerendæ rei non dimittendam arbitrantes acerrimè instabant, & vrgebant vehementer; sensit periculum inuictißimus* FARNESIVS, *& admotis equo calcaribus, reclamante tunc Austriaco Imperatore (illi.n. in tanto discrimine maxime timebat) primam aciem præcurrens vnus in Belgas inuehitur, fugat, prosequitur, in castra compellit. Neq; vero minus gloriose, quàm fortiter ad Philoppolim sine eodem Austriaco munitiones egressus impreßionem in hostes fecit; quos aliquandiu acerrimè pugnantes tandem* ALEXANDRI *virtus fugientes distraxit, dißipauit, disiecit. Magnæ essent istæ in alio inuicti animi significationes, sed in* ALEXANDRO *exiguæ sunt. Illustriores igitur, et quæ omnem ingenij humani expectationem superent, videamus. Continebant se Belgæ loco munitißimo, & ad aggre-*

diendum difficillimo, quem locum Remenantem ipsi vocant: cum interim Sereniſsimus Imperator Auſtriacus ad concilium Ducum omnium non minus fortium, quàm prudentum detulit ſui eſſe animi, & deliberationis eos adoriri; nihil eſſe tàm firmum, & munitione ſeptum, quod virtute vinci, & expugnari non poſsit: multis ibi tum varia ſentientibus, & modo in hanc, modo in illam ſententiam abeuntibus, nunquam potuit adduci noſter Maximus; vt de hoſte tunc aggrediendo conſilium probaret, optimis quidem, ac firmis rationibus (vt rei euentus comprobauit) nixus: Enimuero, cum ad hoſtes ventum eſſet (iri enim omnino oportuit) cœpit Regius exercitus in ancipiti fortuna verſari, & rebus ſuis non mediocriter timere. Quare Heros FARNESIVS, ne propter aliquam animi infirmitatem iudicium ſuum de profectione illa cum aliorum iudicio non coniunxiſſe videretur; omnes præcurrens, Hiſpanæque phalangi ſeſe oſtentans, equo præceps deſiluit, haſtaque manu arrepta, & in exultantes Belgas inuectus, ea fecit, quæ nec verbis exponi, nec cogitatione complecti poſſunt. Quod ſpectaculum Deo quoque ipſi pulcherrimum fuiſſe pie crediderim. Videre fortiſsimum virum contra hoſtes à vera religione auerſos, & humana, diuinaque iura peruertentes, pericula omnia, terroreſque contemnentem, vt Romanæ Eccleſiæ tunc non mediocriter periclitanti, pro qua etiam emori cupiebat, inſeruiret; vt eius fidem tueretur; vt denique vaſtitatem

tem

tem à templis, incendia à Delubris depelleret. Hæsitaret igitur hoc loco, & obmutesceret omnium oratorum lingua, ne dum ego balbutiens rem pro meritis possim extollere. Proferat hic, quæso, quot quot habet vetustas, insignes viros; Assyria, Media, Persia, Macedonia Reges suos iactet; Aegyptus Ptolomæos, Syria Antiochos, Græcia Themistocles, Roma denique suos admiretur Cæsares. Ostentent qui velint, imagines fortium Imperatorum; nihil maius, maius dico? nihil simile; nihil conferendum cum ALEXANDRO FARNESIO *videbimus. Nam quid ego commemorem, quæ Imperator declaratus defuncto Austriaco in subigenda Belgia, ad sanitatemque reuocanda fecerit? circumferuntur vndique, multa passim extant, & plura in dies extabũt doctorum hominum de bello Belgico scripta volumina,* ALEXANDRI *nomen ab omni interitu vendicatura. Namurcum, Traiectum, Cameracum, Tornacum, Teremũda, Noruesium, Seclusa, Gauera, Lyra, Dunchercum, Neoportũ, Ipra, Burga, Gandauum, Bruxellæ, Antuerpia, ad quam præter admirabiles illas in fluuium Scaldin iactas crepidines, & posthac ad omne tempus, inter clarissima orbis terrarum monumenta referendas, semel, atque iterum ad pedes desiliens, vadumq; laterum tenus ingressus, gladium vibrans ipsa fortitudinis admiratione hostes obstupefecit, tota deniq; Belgia apertissime testatur nil maius vnquam, nil fortius vixisse* ALEXANDRO FARNESIO. *Qui Prouinciã illã opibus affluentẽ, hominũ*

robore

robore incomparabilem, immanitate ferocem sic domuit, vt ab ea merito Belgici cognomen traxerit: Tantumque ad nominis, & famæ celebritatem auctoritatis adiecerit, vt eum vnum omnia vbique gentium dispersa bella profligare posse exteræ nationes omnes vel maxime persuasum haberent. Quare quæ pars Galliæ à vera CHRISTI *fide non defecit, hunc vnum omnibus votis sibi dari expetiuit ad ciuilia bella, & quæ* CHRISTO *ipsi inferuntur, quibusq; iam ætatem miserrima illa Prouincia deuastatur, conficienda. Quo se cum recepisset* FARNESIVS *Imperator, atque intelligeret pro Christiana religione ibidem esse pugnandum, cui iam pridem omnes suos labores dicauerat; nulli diligentiæ, nullis periculis parcendum statuit. Primumque omnium Lutetiam Parisiorum totius Galliæ præsidium, ac columen asperrimæ obsidionis periculo liberauit, effecitque, ne vrbs illa, cuius fortunam reliqua omnis Gallia præceps secuta fuisset, aut in turpißimam deditionem veniret, aut miserabili fame, & indignißima rerum omnium egestate conficeretur. Et Rothomago maximis difficultatibus laboranti eam opem tulit, vt, & Henricum Borbonium Nauariæ Regem direptis impedimentis in desperatam fugam coniecerit, & amplius decem millia hostium trucidauerit. Nunquid igitur maiora in* ALEXANDRO *desideratis? Omnia vno verbo complectar, inuidiam ipsam militari virtute superauit; priusque defeßi sunt homines admirando tanti Herois fortitudinem, quam ipse*

jacien-

faciendo, quæ sempiterna gloria, omnium sæculorum posteritati digna viderentur. Quare eius nominis splendore obstupefactis hominibus, si quam vrbem ingrediebatur; lætari populus vniuersus; ad videndum sese effundere, procedere; & vix illi peruio tramite relicto admirabilis hominum multitudo vias obstruere; nihil, quod excogitari posset, ad ornatum portarum, itinerum, locorum, qua erat ALEXANDER *iturus, relinquere; & quasi expectatißimi triumphi lætitiam percipere; atque eum semel vidisse, inter ea, quæ accidunt mortalibus iucundißima reponere. Cum interim maximus ille noster quocunque pedem ferebat, grauitatem, regiamque maiestatem, fronte, & vultu præseferens, nullius vitij, sed virtutum omnium expressa vestigia relinqueret. Iustitiam enim bonorum omnium conciliatricem, & quasi orbis dominam, tanti semper fecit, vt eius nomine, in tam difficili, & diuturna imperij sui administratione, vel apud hostes ipsos præclarißime semper audiuerit. Qui, si quando priuatæ quid inter eos dissensionis exoriebatur, hunc vnum sibi arbitrum, ac iuris sui disceptatorem dari per optabant. Quare, cum in iustitia colenda semper sibi constans, concors, & secum consentiens esset; nil mirum videri potest, ita meritum fuisse, vt vni illi, infinita hominum multitudo, lingua, moribus, institutis diuersa studiose obtemperaret. Atque eo libentius, quòd continentiæ laudem sic erat amplexus, vt, cum multæ essent illi constitutæ aduersariæ cupiditates, quibus sine cuiusque*

iniu-

iniuria obsequi posset, ab ijs tamen omnibus abstineret. Quarum virtutum præsidio in maximam omnium sui admirationem traxit omnes, & incredibilem sibi à populis amorem conciliauit, quo vera, solidaque gloria comparatur. Quæ enim potest esse gloria maior? quæ illustrior? quæ firmior sempiternis sæculorum ætatibus, quàm amari ab omni hominum genere fama meritorum? Age vero, qua propius ad Dei bonitatem accedimus clementia, quæq; maxime in summo Imperatore requiritur, nunquid excelluit ALEXANDER? ita nimirum, vt ea munitus incredibile quiddam fecerit. Quid enim est tam admirabile? tam nouum? tam inauditum? tam præter hominum opinionem, quàm Alexandrũ Belgicũ vinci? at sua uicit eum animi lenitas, vicit mansuetudo, & de quo hoste tot partis victorijs meritas pœnas sumere debebat ALEXANDER, eidem parci clementia, & ignosci volebat. O inuictißimũ igitur Imperatorem, qui, vt se ipso maior esset, ipse se, quem nemo poterat, uicit. Triumphauit de Belgia ALEXANDER: triũphauit de ALEXANDRO clementia; amplißimum quidem, & iucundißimum triumphum, in quo omnis victoris gloria in ipsum victũ transfunditur. Quòd si quando operæpretium erat ad seueritatem dilabi, ea tantum, parcius etiam, & intra modum, aut retinendæ dignitatis, aut vindicandorum scælerum, & maleficiorum causa vtebatur. In legibus vero, & institutis temperantiæ seruandis, eam semper adhibuit rationem, quæ adhiberi potuit maxima. Nam &

in

in secundis rebus, ad eiusq; voluntatem persæpe fluentibus nullam omninò sese efferentis, & elati animi significationem dedit. In aduersis autem, quæ (vt sunt humana) aliquando contingere est necesse, semper dignitatis suæ memor omnem iracundiæ, & doloris vocem compressit; &, (quod in vno Socrate Græci, Romani in C. Lælio admirantur) eandem vitæ æquabilitatem, eundem vultum, eandem frontem conseruauit. Quin, & decori nunquam oblitus (id.n.ad eam, de qua nunc disserimus, temperantiæ laudem vel maxime pertinet) ita cum suo Rege versabatur, vt administrator fidelißimus; cum Principum Legatis, vt pacis studiosißimus; cum ijs, qui in eius imperio, & dominatu erant, vt benignitatis amantißimus; cum militibus, vt Imperator diligentissimus. Magnificētiam porrò, in promissis fidem, in dicendo grauitatem, in discernendo prudentiam, in familiarium congreßionibus facilitatem tacitus præteribo, ne, quarum virtutum laudem multi Principes tulerūt, in ALEXANDRO admirari videar. At enimuero cum mihi præcipuam eius erga Deum religionem, & miram quandam pietatem, qua totus exarsit, ante oculos propono, & ad illam contemplandam animum, cogitationemq; refero; sic censeo statuendum, omnium, quotquot fuerunt, Imperatorum, qui pro sanctitate in Diuorum numerum relati sunt, in colendo Deo studium tam diligenter imitatum fuisse ALEXANDRVM, vt in ipsorum vestigijs insistens rarò ab inita eorum viuendi ratione deflexerit. Cuius rei non id solum

dedit

dedit documenti, quòd in domanda Belgia, & Christianæ fidei restituenda, plures labores, plura pericula pertulit, quàm sit vnquam de vllo Imperatore memoriæ proditum. id.n.tam late patet, vt, ne remotissimas quidem nationes latere possit. Sed illud etiam Illustriori potuit esse indicio; quòd in tanto armorum strepitu, in tanta rerum administrandarum mole, quantam nemo præter ALEXANDRVM sustinuisset, per tot annos, ò inauditam Imperatoris religionem, & omni admiratione dignissimã; per tot annos diem vnum numquàm prætermisit, quo die solemnibus sacris non interesset; ibiq; pro CHRISTI Ecclesia, cuius se propugnatorem acerrimum profitebatur, pie, sancteq; preces effunderet. Quòd grauiori verbo Deũ, vel Diuorum aliquem appellantes oderat vel maxime. Quòd nunquam somnum capiebat, nisi prius horam innixus genibus sacræ ipse secum tacitus meditationi vacasset. Quòd quidquid prudenter, quidquid fortiter, quidquid cum laude gerebat, ad Dei gloriam, & Christianæ religionis incrementum referebat, in quo uno curas omnes, & cogitationes terminabat suas. Quòd in eo potissimum elaborabat, in quo etiam vires omnes, & animi, & corporis exhausit, vt ea tueretur, quæ ad salutarem religionem, ac summi Regis IESV CHRISTI nomen, & imperium propagandum conducerent. Quòd pro communi totius Christiani orbis salute nunquam non modo sine cura quiescebat, sed ne respirare quidem libere poterat. Quòd nunquam prodire in aciem parabat, nisi prius Sacerdotis

B

mini-

ministerio se expiasset, atq; omni labe purgasset, & sanctissimo illo Angelorum pane, vero nimirum CHRISTI *corpore, corroborasset. Quòd victoriam nullam, nullum triumphum referebat, quin pro eo publicas, solemnesq; decerneret Deo gratiarum actiones. Quòd deniq; in profundendo pro* CHRISTO *sanguine summum decus, summam gloriam, summum imperium constitutum arbitrabatur. Et prudenter id quidem censebat; in quo.n. est vera pietas, in eo sunt virtutes omnes; in eodem igitur est certa laus, & perpetuò constans bonorum omnium possessio. Quare hac vna contentus* ALEXANDER *in diuturnis, difficillimisq; belli laboribus, nihil sibi acquirendum statuebat; sed solam* CHRISTI *gloriam, solam religionis propagationem, solam orbis terrarum salutem spectabat. Te vero, Sacratissima* MATER *Virgo, quo in honore habebat? quo studio prosequebatur? qua obseruantia colebat? tanta scilicet, vt, cum assidue in magna hostium cæde versaretur, belliq; vis ipsa, & Martis furor multos hinc inde raperet, ipseq; interim omnibus se periculis obiectans, non incolumis modo, sed etiam gloriosus victor euaderet, id vnum tuo apud Deum patrocinio acceptum referret. Quare semper eam tibi, quàm maxime poterat, meritorum erga se tuorum memoriam præstabat: quam vt expressiori etiam argumento testatam relinqueret, persæpe Alense templum illud tuum apud Belgas celeberrimum, cæteris equo vehentibus, pedes ipse adibat. Quin eo se uoto obstrinxerat religiosissimus* ALEXANDER,

vt, si

vt, ſi quando Parmam vrbem hanc ſuam incolumis reuiſiſſet, nihil prius haberet, quàm ad Lauretanam ædem illam tuam ſe conferre, totumque id itineris pedibus conficere. Deo aliter viſum. non enim te Parma reuiſit ALEXANDER; *ſed tu mutum, & exangue* ALEXANDRI *cadauer recepiſti. Funeſtum, Deus optime, ſpectaculum, quodque acerbo nimis, & incredibili dolore omnium præcordia conuulſerit; corda ipſa exulcerauerit; ſpiritũ, penè dixerim, extinxerit. Heu Parmenſes, Parmen. quantum de ornamentis, quantum de ſplendore noſtro tanti Principis morte deperdimus. Quantum dignitatis, quantum præſidij fatali illo temporis puncto amiſimus, quo lachrymabile ſui deſideriũ nobis reliquit* ALEXANDER. *O nos perditos, ò nos à tam atroci caſu peßime acceptos. Fuit olim; fuit ſuperſtite* ALEXANDRO *cum nos non finitimæ modo, ſed vel remotiſsimæ gentes eo nomine felices, & omnium populorum fortunas ſuperare prædicarent; quòd* ALEXANDRVM *Belgicum Principem diuinitus ſortiti eßemus. At nunc eædem communem orbis terrarum caſum miſerantes, & tanto ſplendore extincto quaſi tenebris circunfuſæ nobiſcum in luctu, & ſquallore verſantur. Qui enim Reges? qui Principes? qui populi? quæ nationes non dolentiſsime diuini huius Herois mortem tulerunt? cecidiſſe religionis columen, Chriſtianæ reipublicæ præſidium deiectum eſſe miſerabiliter omnes conqueruntur. Quid ni faciant? eo è terris ſublato, qui æternum bellum Chriſti hoſtibus*

ita

ita indixerat, vt ad extremum vsque vitæ spiritum sit persecutus. Qui Turcas nauali pugna profligauit. Qui contumaces Belgas, à veraque religione aberrantes, ad Dei Op. Max. cultum operoso labore, incredibilique fortitudine reuocauit. Qui Gallis Ecclesiæ Romanæ impie nimis, & superbe vastitatem minantibus ingentem cladem iterum, atque tertio intulit. Qui Iustitiam, Clementiam, Pietatem, Continentiam, Temperantiam, virtutes denique omnes sic coluit; vt ad earum omnium exequenda munera à Deo factus esse videretur. Cuius interitu moderatore spoliata est Belgia; auxilio Gallia; splendore militia; præsidio respub. Christiana. Hunc igitur gentium domitorem, exterrorum bellorum, hostiumq; victorem, tot virtutum præsidio munitum nobis morte sublatum, quotidianis querimonijs non deplorabimus? & mortifero hoc accepto vulnere consolando quisquam medicinam adhibebit? Ego certo non, non conabor, quod putem aßequi posse neminem, vos à præsenti mærore, ab isto squallore, ab his lachrymis abducere. Est omnino non consolabilis dolor; est præter modum immanis iactura. Vt quisquam defuncto ALEXANDRO FARNESIO *Parmensium lachrymis imperet? vt Parmenses defuncto* ALEXANDRO *lachrymas abstergant? vt mærorem istum abijciant? vt squallorem vlla temporis longinquitate deponant? Vt huius vitæ lucem, huius cæli spiritum poßint non odisse? Non erit, non erit, inquam, nisi tu, mitißime* IESV, *tam grauiter exulcera-*

tis

tis animis medicinam feceris; tuæ est Pietatis, tuæ Misericordiæ, vbi humanum deficit consilium præsto esse, opitulari, subsidium ferre. Per illam igitur ego te charitatem, qua genus humanum complecteris; quæque te de Cælis ad nos in terram deduxit, & nostræ huius humanitatis induit inuolucris; quæ denique isti te cruci affixit, quæso, obtestorque, vt præcipue Serenissimos Principes nostros, inquos demum iacturæ istius pars maxima redundat, respicias, & consoleris. Reuoca, Clementissime IESV, si fas, piumque iudicas, paullisper eorum mentem, à præsentis miseriæ contemplatione, quæ intimis eorum sensibus acerbissimum vulnus infligit. Tum sensim aliquam eis animi alacritatem infunde. Quod si feceris, quæ tua est pietas, communis quoque nostrum, qui prorsus ab illis, vt à capite membra, pendemus, mitigabitur dolor, & lenietur. Non solet Deus misericors afflictorum preces contemnere; non lachrymas negligere; non pia vota aspernari. Itaque firmissima spe nixi confidamus, propediem fore, vt aliqua in nos consolatio, ex altissimo Domicilio deriuetur. Sed interim Belgici Principis nostri memoriam lachrymis, & tacita cogitatione prosequamur: sic statuentes; in Farnesiorum familia, illustre quidem, & gloriosum antea fuisse ALEXANDRI nomen: posthac vero ad omnem æternitatem futurum instar clarissimi triumphi.

FINIS.


PARIT VIRTVS